

Le livre des serfs de Marmoutier, Nr. 68

Noveritis, si qui eritis posterius nostri Majoris scilicet hujus habitatores Monasterii Sancti Martini, famulum quendam, Giraldum nomine, liberiori genere ex provincia Biturigensi, loco videlicet Cloiso, patre Geraldo Malo Clavo cognomine, matre vero Adelendae ortum, sponte pro amore Dei Sancto Martino, in domni abbatis Alberti praesentia, se ipsum hac ratione tradidisse in servum, ut non solum ipse, verum etiam omnis ex eo nascitura progenies, cunctis diebus vitae suae, abbati hujus loci et fratribus servili conditione famulentur. Et ut haec ejus traditio certior et evidentior appareret, pro recognitione servi quattuor denarios super caput proprium ponens, Deo Sanctoque Martino se taliter sub his testibus obtulit: Rainaldo pistore; duobus Constantiis; Hilgodo et Herveo quocis; Gauscelmo Lotharii; Raimundo avunculo ejusdem servi; Michaele Rufo; Arnulfo cementario; Fulcodio priore; Berengerio cellarario monacho; Tetbaldo cellarario; Gauscelino de borda cum quo inhabitat servus.